

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Sacra De Genealogia Jesu Christi ... : Placido Examini subjicit Joh. Jacobus Hottingerus, S. Theol. Prof. Publ. ...

Posterior :

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCXIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300>

Band (Druck)

Freier



Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1677943300/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300/phys_0001)

DFG

6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.



DISSE^TRATI^O SACRA
DE
GENEALOGIA
JESU CHRISTI,
POSTERIOR,

Quam

Auspiciis

Ejus quiescit צמַח יְהוָה & נִצְחָנָץ שְׁרָאֵל

Amicæ discussioni subjicit

JOH. JACOBUS HOT-
TINGERUS,

S. Th. Prof.

Respondente

JOH. HENRICO SCHÆRERO, V.D.M.

Assumente

JOH. RODOLPHO HOFFMEISTERO, S. Th. Stud.

Postrid. Syn. Vern.

H. L. Q. S.

TIGURI,

Typis DAVIDIS GESSNERI.
M D C C X III.

3.

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11. 2

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

Arbor Originis & Cognitionis


D. N. Jesu Christi secundum Carnem:

à Cl. Eglino delineata, contractior.

DAVID

Linea *Josephi regia.*
Naturalis.

Linea *Josephi privata.*
Legalis.



Kuejus D. Eglini dōcēt. I. *Joachimum ab Heli diversum esse: quod* *dissert. I. § 27.* *eliminamus.* II. *Familiam Nathanis ante Christum natum* *planè fuisse extintam.* Secus evenisse demonstramus, *dissert. 2. § 7.* III. *Beatissimam Virginem, Solomonis fuisse filiam.* Diversum ostendimus: *diss. I. § 39.* II. *§ 21.*



) : ()

3

DISSERTATIO SACRA
DE
GENEALOGIA CHRISTI
POSTERIOR.

I.

Hactenus de Genealogia Christi exterioribus. *Canaan à Viscera ejus, hostes veritatis Evangelicæ variè LXX. Interarrodunt. Cavillantur, S. Evangelistas tum à scriptis V. T. : tum ab invicem : tum à se ipsis abire, & propria cädere vineta.* Quæ majoris momenti videbuntur, ordine considerabimus. S. Matthæus Abrahami posteritatem tribus Periodis includit. S. Lucas quartam præmitur: quâ viginti Patriarchæ comprehenduntur, in quibus Luc. 3: 36. ab Adamo decimus tertius comparet Cainanus: inter Arphaxadum, tertium Semi filium, & Salam medio loco positus. Eum Textus Hebræus Gen. 10:24. 11:12. 1 Paralip. 1:18. ignorat. Ut autem à LXX. interpretibus (ceu Clariss. Ligifoot. Hor. in Luc. 3:36. fidem facit) paßim nomina propria aliisque contextui Sacro intruduntur, nec eis Religio fuit subinde calculum sacrum aliquot seculis adaugere: Ita Gen. 10:24. Mosis narrationi addunt, Αρφαξάδ ἐγέννησε τὸν Καίναν. Καὶ Καίναν ἐγέννησε τὸν Σαλαν. Gen. 11: 12. sqq. tanquam χερμαλισθέντες, Cainanem anno Arphaxadi 135. genitum: Arphaxadum inde 330. annos vixisse. Cainanem annos 120. natum, Salam edidisse: deinceps 330. annos superstitem, pluribus filiis

A 2

liis

5.
6.
7. 2
8.
9. ?
10. 2
11. 2
12. 4

liis filiâbûsque auëtum , diem obivisse. I. Paralip. i:8. scribunt, *Arphaxad genuit Cainanem*, Cainan genuit Salam. Græca tamen Sixti V. & Parisina editio, Cainanem posteriori loco non legunt. Chaldæus Paraphrastes, Samaritanus, uterque Arabs (et si ferè LXX. se-
cutus. Patricidi tamen & Elmacino, in τῷ μανεῖται Smeg. Orient. pag. 259. Cainan genuinus videtur), Persa, Vulgatus Latinus, Cainanem neque in Genesi neque in Paralipomenis agnoscunt. Neque magis Josephus (à diluvio ad Abrahamum, non Græcorum sed Hebreorum computo usus), Philo, Berossus Chaldæus, LXX. inter-
pretibus antiquior, apud Josephum & Eusebium. Etiam Irenæo, Theophilo Antiocheno, Dositheo, Africano, Hieronymo, Eusebio, Epiphanius embolymæus visus. Magnus Usserius iisdem Jose-
phum Christianum, & Julium Quintum Hilarionem socios jungit. Ab Origene in Hexaplis obelo notatur. His tantum non totus Reformatæ Ecclesiæ Doctorum chorus recentior, & primæ digni-
tatis in Ecclesia Rom. viri, album adjiciunt calculum.

*Quæ eius
Luc. 3:21.
sacerdotes?*

II. S. Lucas tamen Cainanem exhibet. Ipsone S. Luca au-
tores, quod multis placet: an intempestivâ quorundam sciolorum
industriâ? Sub judice lis est. Qui ipsi Lucæ eum tribuunt, ad di-
versas se recipiunt conjecturas. Alii, eum ex LXX. versione mu-
tuatum: quod, juxta Doctiss. Ligfoot Hor. in Luc. 3. S. Lucas in
gratiam Hellenistarum, prægnantibus motus rationibus fecit. Clariss. Schotano in Biblioth. Hist. S. visum, Cainanem à Luca ex versione
citata descriptum, concessione quâdam Historicâ, re ipsâ in medio relictâ,
legitimus an illegitimus sit: quod judice celeb. Gomaro in scriptoris
Georgij haud levem iniuriam redundat. Addit' ὁ πάπιος Bochartus:
S. Lucam eâ ratione neque veritati neque famæ confulturum fuisse.
Neque vero esse simile, eum in aliquot Hellenistarum gratiam, justis om-
nium Judæorum cavillis se objecturum fuisse; cum Hebrei Textus mul-
tò potior ratio habenda sit quam versionis &c. Phaleg. lib. 2. c. 13.
Placet aliis, Cainanem Sancto Lucæ divinitus suggestum; ex Lu-
cae autem Commentario, versioni V. T. Græca insertum. Quo-
rum sententiam premit, quod Cainanis nomen, in versione Græca
LXX. viral communi, ante Christum natum occurrisse, Reverendiss.
Usserius docet. Nolumus reliquorum hariolations sub incudem
revocare. Illi quibus Cainan non à S. Luca, sed sciole aliquo Ge-
nealo-

nealogiæ Christi insitus videtur, laudato Gomaro judice nodum se-
cant non solvunt. Idem optat, Viros illos Reverendos, de Ecclesia
Christi, sacrarum literarum illustratione optimè meritos, rem istam per-
nitiūs considerasse. Non dubitans, quin male exautoratam Cainanis
vocem retainuri fuissent. Addit p.p. Major reverentia Scriptura debe-
tur, quam ut ei falcem adeò facile immittamus. Piè & prudenter!
Dum liquidum sit, resecari aliquid quod Deum autorem habet.
Neque tamen dissimulandum, Græculos audacia & ~~desig~~ nimiae
quā S. Libros tractarint, ex sinceroribus Codicibus nullo negocio
revinci posse. Excubante semper Dei Providentiā, ut ne lapis ly-
dius, ad quem suspecta loca exigi, vile à pretio discerni & auda-
culturum illorum temeritas revinci posset, Ecclesiæ unquam decesset.
Clariss. Millius, cui Cainan genuinus videtur, agnoscit, eum in an-
tiquo illo Codice, quem A. 1562. Lugduni repertum, Venerab. Be-
za A. 1582. Bibliothecæ Cantabrigiensi sacrum esse jussit, non re-
præsentari: Nec ab illis quos § 1. commemoravimus Patribus Græ-
cis: sed repugnante, ait, ceterorum Codicum omnium omnino (nimi-
rum à Millio inspectorum) fide. Cantabrigensem autem illum,
quanquam Bezæ calculo, ad ejus fidem omnes Codices emendandi
sint, pessimi commatis esse. Idem tamen Millius Not. ad Luc. 3:23.
Tabellam exhibit, in qua Cainan præteritur. Ut communis ille
quem urget, Codicum pro Cainane consensus, liquidus miminè sit.
Sed fallit etiam ejusdem observatio: Lucam τὸς LXX. sequi in
omnibus, etiam cum ab Hebræo dissentient: idque ex Act. 7:14.
coll. cum Gen 46:27. confirmare nititur: Cùm tamen loca ista (ut
Clariss. de Dieu demonstrat) parallela non sint. Adi etiam Luc. 2:24.
coll. Levit. 12:6. Si fides Grotio (Annot. in Luc.), ejus quæ nunc (Luc. 3:
36.) appetat lectionis, indicia reperias nulla ante quartum seculum. Pa-
ræxo, aliquantò post Hieronymi tempora, Cainan in Lucam & (quod
§ 2. Usserius destruxit) LXX. Interpretes irrepisse videtur. Quic-
quid sit, Beda Praefat. in Act. Apost. in re obscura & multâ caligine
pressâ ad formulam antiquam, non liquet, tanquam ad anchoram
Sacram se recipit. Maximè inquit, miror & propter tarditatem in-
genii vehementissimo stupore percussus nescio perscrutari. Et in Luc.
de Hebræi & Græci textûs, in generationibus à diluvio ad Abraham
numerandis dissensu: quid horum sit verius, aut an utrumque

verum esse possit, Deus noverit. Josepho Scaligero, ad quem Lipsius Ep. 6. Cent. I. Aquila in nubibus verè tu es. Vides imò perves omnia, & quicquid venaris, capis: Huic Viro οξυδερεσάτω, nodus iste inter απορα S. Scripturæ referendus, & Elia aliquo vindice, opus habere vi-
sus. Non sine causa, subjicit Fridericus Spanhemius Pater. Ad quan-
tus & ipse Vir!

*Majorum
Davidis
longevitas.*

III. In prima S. Matthæi Tesseradecade observari meretur: pri-
mò, Rahabam ex Salmone Boozum concepisse. Evidem isthoc
Salmonis cum Rahaba conjugium, ab Annalistis Sacris Matthæo an-
terioribus, silentio involvitur. Matthæus tamen autore spirititu
S. ceu rem & eo suo notoriā confirmat. Neque obscura ejusdem
matrimonii vestigia ex Judæorum scriptis colligit Clariss. Ligfoot.
Hor. in Matth. Deinde notandum, ab hoc Salmone ad ejus trinepo-
tem Davidem, annos 366. decurrisse. Difficultas inde emersura est
insuperabilis, si (quod res postulat) Salmonem quidem & Rah-
abam, Mosis ac Josuæ: Boosum autem & Rutham (quod temerè
inde colligitur, quod Ruthæ libellus Historiæ Judicum subjicitur,
vel etiam annexitur) Pontificis Eli συγχέσεις constitutas. Felicius
calculus procedit, si 366. Annos illos, inter Salmonem, Boozum
(Ruthæ maritum), Obedum, & Jessen ita dividat, ut singulis an-
tequam eorum quisquam filium suum genuisset, centum annos æta-
tis tribuas. Porrò Rahaba annos præter propter sexaginta in con-
jugio vixerit necesse est, ante Boozum ex Salmone conceptum. Boo-
zus autem, ante Rutham ducentam, centenarium fuisse oportet. Quod
singulare benedictionis divinæ, in effætis non tantum viris sed
etiam Rahaba, monumentum, minimè erat dissimulandum: Deo
lineam Messiæ, ut in Abrahami & Isaci conjugio, Asterisco divino
notante: & hujusmodi Exemplis, præter Messiæ ex Virgine con-
ceptionem, fecunditati sterilibus & Eunuchis, id est, gentilibus, gra-
tiosâ & omnipotente virtute Spiritus Messiæ conferenda Esaj 56:3.
præludente. Quid si hoc Rachabæ, decrepitâ ætate & corpore jam
emortuo gignentis nomen, preter alias rationes, in id ipsum à S.
Genealogista exprimatur, ut præternaturalis vis in ea se exerens
indigitetur? Pinehasum ad 340. annos ætatem produxisse, sunt qui
ex Jud. 20:28. (nullâ tamen necessitate) colligant. Jojada P. M.
130. Annum attigit, 2. Paralip. 24:15. Et ipsis gentilibus, mares fö-
minæ-

minæque, et si rariores, minimè *μινυθάδιοι*, prole auctæ commemo-
rantur. Vid. Plin. *H. N.* VII. 14. 48. Hæc aliaque exempla à Pro-
vido Numine eis fortean in id ob oculos posita, ne Historiæ Sacrae
narrationes ejusmodi illis suspectæ forent.

IV. Altera à *Davide ad Christum* usque decurrentis ætas, gemi-
nam filiorum Davidis lineam exhibit. Matthæus per *Solomonem* Diversa Æda-
vidicorum
ad Josephum: Lucas per *Nathanem*, ad B. V. Mariam dicit. *Solo-*
Linea ab
mon, Regum secundâ tesseradecade numeratorum primus, sed uni-
Evangelii
cus qui universo Israëli præfuit, corporis illustris verè aureum caput: ta.
Cujus gloria post tot secula in Ecclesia, pleno adhuc jubare radiat,
& cuius memoria in benedictione est eritque. *Nathan Solomonis,*
ex utroque Parente frater fuit. Uterque post integrum Regnum à Da-
vide occupatum, Hierosolymis natus. Ante captivitatem, Solomo-
nis familia, quatuordecim & amplius Regibus continuâ serie sibi suc-
cedentibus illustris, dignitate Regiâ, per aliquot secula popularibus
præfuit. Captivitate posteri ejus in privatorum censum redacti, in
quo ad gentis usque excidium, & tribuum permixtionem, durârunt.
In universa Nathanis Linea, unicus *Rex* numeratur: Ille & primus
& potissimum & cui soli promissio de Messia facta erat, ipsius in-
quam David. Verum post captivitatem Babilonicam, seculari emi-
nentiâ in Solomonis posteritate extinctâ, non quidem Regio, sed *du-*
cali titulo, in Nathanis lineam translatus splendor. Externus tamen
ille, in extremis linea Ducalis generationibus (non minùs quam in
linea Regia) sensim contractus: donec ejus gloriam, Filii Dei ex
Virgine Matre, Nathanis filia, Nativitas in immensum auxit.

V. Notat S. Matthæus c. 1:6. Solomonem (*Lucas de Nathane* Cur pri-
poterat idem monere) à Davide genitum ēn τῷ τῷ ἐπίστα. Plerorūm-
que interpretum consensu, non tantum tori Davidici socia, sed etiam mum Batse-
delictum ejus qui de cætero *Vir* erat secundum cor *Dei* 1.Sam. 13:14, ba matri-
ianotatur. *Deinde*, ut Ambrosius in *Luc. 3. Lib. III.* loquitur, *Magisterium* monium, in
istud affectanda humilitatis asciscitur. Matthæus imprimis *Judæos* Christi Ge-
Davidicâ gloriâ elatos, Virgulâ hâc humiliatus erat: de quo *Bul-*
lingerus in b. l. curatiūs. Denique tum superiori Judæ, tum hoc Da-
vidis, nec non Regum ab eo descendantium Exemplo (quorum
magna pars non ipsi tantum sentina vitiorum fuerunt, sed vitiis ceu-
diluvio totum Regnum inundârunt: Nec illi qui à pietate com-
men-

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

DFG

mendantur maculis carebant) hujusmodi inquam Exemplis, Deus docere voluit, se nec Majoribus Christi eam dignationem, quæ maxima est, habuisse, ut ex eorum carne nasci vellet Jesum, ob eorum dignitatem & meritum: Nec eos in quibus Christus per fidem nascitur, propriæ id aptitudini aut dispositioni tribuere debere, cùm & Christus caput, & singula ejus membra *promissionis filii* sint, Rom. 9:8. Solo Dei beneplacito Christus & in mundum venit, & nostra corda per fidem subit, subigit, & in eis habitat.

Davidis Linea Zach. 12:10. 11. illustratur. VI Evidem Majores Solomoni & Nathani communes, inde à Perez planè ἔξαγωνοι erant, Ruth.4: 19-22. Posteri Solomoni, usque ad Zorobabelem, ante Matthæum, exhibiti i. Paral. 3:10. sqq. At Nathanis quidem ipsius oppidò rara in Sacris memoria. Familia etiam ejus laudatur Zach. 12: 10.11. Genealogiam autem Nathanicam solus Lucas commemorat. Hoc tamen ex Sacris liquet, quod utraque familia ex Babilonico carcere redierit, distincta manserit, & sedulò à Judæis observata fuerit. De his minimè nos dubitare permittunt verba Zach 12:10.11. *Planget terra. Familia que seorsim. Familia Domiis Davidis seorsim, & mulieres eorum seorsim. Familia Domiis Nathan seorsim, & mulieres eorum seorsim. Familia Domiis Levi seorsim, & mulieres eorum seorsim. Familia Simei seorsim, & Mulieres eorum seorsim.* Nimurum hoc vult Spiritus S.: Quo tempore, ob πανολεθέαν, & fatalem Palæstinæ deviationem, communis Judæorum luctus erit, erunt quos singularis ratio, mœrore & planctu implebit, *Familia Davidis* (sive posteri Davidis reliqui qui Parenti accensentur, sive Linea Regia, idest, Familia Solomonis) sceptrum lugebit ereptum: *Nathanis*, dignitatem Dualem, quâ à Captivitate turgebant: Levitici sacerdotes, vastatum Templo: Levitæ ex *Simei* (non Nepote Merari i. Paralip 6:14. sed ex Gerson, primo Levi filio, oriundi, Num.3:17. 18.21.) victum ipsis cum Templo ejusque ministerio, ereptum. Etenim, ut familia posterior utraque, (*Levitarum* inquam & *Simeitarum*) ad eandem Tribum pertinet, iisdemque cultus Judæorum Babele reducum sustinebatur. Ita duæ priores familiz, de Tribu Juda Nobilissimæ, gentis gloria & Reip. fulcria erant. Ex Dei autem oraculo futurum erat, ut istæ nec Herodis fævitâ conficerentur, nec confuso Gentis statu permiscerentur, sed distincta conservarentur: adeoque non tantum tempore natu-

ti Messiae, sed cum injuriam sibi a Judaeis illatam cælitus ulturus erat exploratum esse debebat qui ad hanc illamve Familiam pertinerent. Cum a distinctione Familiarum, agrorum distinctio, adeoque tranquillitas publica & Fori civilis justitia utcunque dependeret, plurimum intererat Genealogias, quandiu Israëlitæ Cananem incolebant certas esse. Ad Messiam adeoque natum, codicillos quibus Davidis posteritas descriebatur, conservari omnium referebat. Neque dubium est utramque Familiam, earumque fata, ob Messiam vulgo attentè observata fuisse. Solomonis, ob ejus pristinum splendorem: Nathanis, ob decus Solomoneorum indies inclinans, in ipsam derivatum: & quia inter Regias a Davide pullulantes eam tempestate fuit dignissima. Suspensis populi animis, utra Messiam datura esset. A quo capite utraque originem ducat, quo ordine ad Josephum & Mariam conservatae & propagatae fuerint, Evangelistæ planissimè edisserunt. Denique, quod Christus ad utramque, utraque ad Christum pertineret, in Christo, Josephi putativo, Mariæ genuino filio, pedem figunt.

VII. Certum itaque nobis, primò Nathanem istum nec fuisse *Nathanis* celebrem illum Prophetam, quem a Davide adoptatum, Origenes, Hieronymus, Augustinus, apud Erasmus voluerunt. Nec, ut Lirano & Torniello visum, Uriæ genuinus, Davidis adoptivus fuit. Quin planè ut Salomon, Davidis, ex Uriæ vidua, proles erat. Secundus Christus Uriæ Hitthæi, hominis Allophyli filius fuisset. Deinde, à Doctis. Eglino sumi quod ab eo nec demonstratum, nec demonstrari potuit: *Lineam Nathanis tunc defecisse. Ex omni Familia Nathan, neminem proorsus superfuisse: Heli gentis ultimò, sine liberis defuncto.* B. Virginem Solomonis posteris accenset. Porrò illa ne Patre careret, adoptat Fausti de Joachimo sententiam, damnatam ab Augustino: eumque Jacobi fratrem, utrumque Matthanis filium constituit. Adversus quæ militant, tum quæ § 6. de Nathanis familia, ad Urbis desolationem conservanda, delibavimus: tum ea quibus *dissertationi prioris* § 39. 40. evicimus, Messiam Solomonis filium esse non debuisse. Et cui bono S. Lucas Genealogiam τε Heli tam curatè designasset? Numne tanti nostrâ referebat, scire Estham Heli defuncti viduam a Jacobo ductam? Cur, imò quanto damno, B. Virginis prosapiam nobis denegasset? Si non nisi alter-

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

utram dare voluit, quidnî Matris potius, ex qua sola, eum Davidis filium esse, omnis loci & temporis Ecclesiæ constare poterat, quam Patris Genealogiam nobis exposuisset? Joachimum illum Josephi patrum fuisse, nemini, sine ratione, sine autoritate idonea asseveranti, magis crediderim, quam Johanni Bessono, Jesuitæ, ad quem alter Jesuita Possinus provocat, Josephum Mariæ Patrum fuisse.

*Trium Re-
gum Jude
nomina à
Matthæo
præterita,*

VIII. In Regum, ex Solomone pullulantium Generationibus, earumque numero colligendo, S. Matthæus ab *Historia Regum* & à seipso dissidere frustra perhibetur. Evidem v. 8. *Josaphat*, inquit, genuit *Foramum*: *Foram* genuit *Oziam*. At I. Paralip. 3:10. i. *Josaphati* filius *Foram*: Nepos *Abasia*: Pronepos *Joasus*: Abnepos *Amaria*: Trinepos *Asarias* sive *Uias* memorantur. Itaque Matthæus tres ordine Reges i. e. Generationes prætervectus, Uiam Joramitri nepotem, ejusdem filium constituit. Absit, hoc quicquid est, Librariorum sphalmati: nedum S. Matthæi vel imperitiæ, vel lapsi memoria tribuamus. Sanctus Dei homo id fecit actus à Spiritu S. 2. Pet. 1:21. Qui Periodi primæ, ab Abrahamo ad Davidem, quatuordecim Generationes numerabat, totidem gradus, intervallum à Davide ad captivitatem absolventes, quod Spiritui S. liberatum erat, dare: simul singulis memorabilem terminum assignare: Adeoque secundam periodum in Regni Judaici fine terminare & numerum rotundare voluit. In opportunum tesseradecadas præconcep-tas concinnandi & memoriam juvandi compendium, alicubi filios non immediatos, sed mediatos i. e. Nepotes exhibet Spiritus S. Ist hoc à Matthæo conscient factum esse, argumento est, quod v. 17. de prima ætate, πάσους omnes Generationes: de reliquis, nudè generationes scribat. Certè stylus iste & Methodus Matthæo, virtio verti non magis potest, quam quod Elisabeth, *Abaronis* Luc. 1:4. alia, *Abrahami* filia Luc. 13:16. nuncupatur. Ipse Christus Matth. 1:1. *Davidis* & *Abrahami*, à Judæorum vulgo *Davidis Filius* dictus. Et quid illi muscarum cibratores? Quoties in Libris Genealogicis aliquid omiti, & *Genitores* dici contingit, qui *Avi* fuerunt? Consule I. Paralip. 4:1. Coll. 2:50. Nec non I. Paralip. 6:8. Coll. Est. 7:2. Zacharias Iddonis filius Esr. 5:6. Neh. 12:16. dictus, Nepos ejus fuit, Zach. 1:17. Itidem I. Paralip. 5:3-6. in Rubenis: Esr. 8, in ipsius Esr. Ge-

Genealogia, plures omittuntur: quia omnes recenseri non è scopo
fuit. Nomina in Tabulis Genealogicis omissa in Templo asservata-
ri solita, Possinus ex verbis Josephi *adv. App. Lib. I.* colligit. In ip-
sis Scholis Judaicis receptum, imò pro Axiomate ferè habitum, res
& numeros paritate aliquā propriū se contingentes, reducere ad
idem: Quod Exemplo uno alterōque *vir* (clarissimi Wagenseillii
calculi) *in signis*, quīque *primus vidi quantum utilitatis Thalmud p̄re-*
beat si quis eo recte uti sciat, Ligfootus *Hor. in Matth. I. 17.* confirmat.

IX. Cur tres illos, non alios, Spiritus S. deleri voluerit? Soli-
dā ratione niti, exploratum nobis est, quanquam ipsa facti ratio nos
latet. Qui eam sibi reddi velit, ediferat quid eum moverit, ad tri-
bum Danis, ex filiorum Israëlis Catalogo expungendum, Apoc. 7. ?
Quis, dicenti, S. Matthæum propagationem Lineæ Regiæ ex clario-
ribus Regibus arcescere: Vel, eum innuere voluisse, familiam Davi-
dis tunc Ecclipsin passam, quippe affinitate cum Achabidis contra-
etā, Luci tenebras miscentem, dicam scribat? Neque medium digi-
tum illis monstrārim, qui h̄ic judicium Dei in domum Achabi com-
memorant. Nam præterquam quòd Deus Idololatris vindictam in
tertia & quarta Generatione comminatus est, Exod. 20: 5. Achabo,
cujus filiam Athaliam Joramus duxerat, bis maledixit, 1. Reg. 21: 21.
2. Reg. 8: 9. Hujus saceri pñnam & Gener luit, & נְתָמֵת הַיּוֹם semen
Regni 2. Reg. 11: 1. per Athaliam ablatum: & Joasus qui solus eva-
sit, simul cum Patre & filio indigni visi, quorum nomina inter avos
Christi legerentur. Ita Deus Zelotes, pñnā quam Achabo 1. Reg.
21: 21. minabatur, quòd quicquid ad familiam ejus pertineret, tertiad
generatione exscindendum sit, non solius filii, sed etiam Generi fami-
liam sideravit: quemadmodum Jehu ob Ahabi familiam perditam,
benedictionem Dei in tertiam Generationem expertus est. Magna
fanè Dei indignatio! Qui nomina trium mulierum quæ gentilium
Idololatrarum castris desertis ad Judæorum sacra transiere, Majorum
Christi indiculo inseri voluit: trium Regum in veri Dei cultu in-
constantium nomina, ex eodem expungit. Denique commendamus
in primis modestiam Fabri Stapulensis, viri sanctæ memoriae,
Scripturarum expositoris fidelissimi, ut M. Bullingerus ei parentavit.
Sic ille: Causam hujus prætermissionis Deum solum novisse: à nobis
aliam reddi non posse, quam Spiritus s. voluntatem. Et Spanhem. Part. I.
B 2 Dub.

Eius rei re-
tio inquisi-
tio return.

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

Dub. IV.14. Tametsi hujus prætermissionis ratio talis, quæ cogat ad assensum, investigari à nobis nequeat: nihil causæ est, cur profani eo nomine insectentur veritatem Christianam. Nihil enim inde decedit nostra cognitioni in rebus necessariis, sive ad constitutionem fidei, sive ad directionem vite nostræ: quamvis hoc & alia id genus dubia ignorantur. Aurea, in hoc affinibusque Argumentis subinde meditanda & inculcanda Regula!

*Quis secundæ Tessera-
decadis in Matthæo,
agmen clau-
dat, Joa-
chimus an
Jechonias?*

X. Ad alterum saltum quem Spiritui S. circa ejusdem Periodi finem facere libuit, pergitimus. S. Matthæus ab Abraham ad Davidem, quartuordecim Generationes numerat. Totidem à Davide ad Captivitatem: Denique totidem à Captivitate ad Christum fuisse asserit, v.17. His Aethiopicus Interpres non acquiescit. Tres has classes in Summam contrahit, adeoque verbis S. Evangelistæ addit, sic eum, nullâ necessitate ductus, nec Græci Textūs autoritate præviâ, loqui fingens: fuerunt omnes Generationes ab Abraham usque ad Christum Generationes quadraginta due. Primæ quidem Tessera-decadis res confecta. Abrahamus in ea agmen ducit, David claudit. *Regia*, si à Solomone exorsus in Josia desinas, nonnisi tredecim habet. Si Jechoniam addideris, de postrema Tessera-decade eadem difficultas recurret. Hic ergo S. Literarum interpres admodum solliciti sunt, ubi quarta decima secundæ seriei Generatio querenda sit? Nemo ambiget, nihil tutius esse, quam S. Scriptoris vestigiis religiosè insistere, & filium quod à Deo porrigitur, utraque manu amplecti, & pressis manibus tenere. Cæterum tria præstruimus: Primum est, quod Abrahamus in prima classe commemoratus, dubio procul ejusdem caput sit. Secus se res habet in altera classe, in qua Davidis: & in ultima, in qua Jechoniæ nomen præmittitur. Neuter eorum ad istas classes pertinet. Sed prima in Davidè: altera à Solomone inchoata, Jechoniæ terminatur. Versu 17. David secundâ, Jechonias tertîâ perspicue excluditur. Tertia à Salathiele inchoatur. Alterum est, quod universa primæ & secundæ Periodi membra, eodem Titulo, jure inquam Generationis naturalis, sive immediatae sive saltem mediatae, jungantur. In tertia classe secus fit. Evidem id locum habet ad Josephum usque. *Salathiel Zorobabelem &c. Jacobus Josephum verè genuit.* Jesus autem, qui, ut semel iterumque monuimus, Genealogiæ hujus terminus est,

à Jo-

¶ Josepho non genitus. Unde Matthæus ad eum delapsus, stylum mutat. Minimè enim, ut de superioribus singulis, ita de postremis, Josephus genuit Jesum. Hic tamen Jesus noster Generationem omnino aliquam, ultimam, inquam, conficit & occupat. Itaque, quod tertio notamus, apud Matthæum Josephi Generatio, naturalium ultima, ordine duodecima est. Supplenda ergò tertia hæc tesseradecas, generationibus duabus, quarum neutra ad præcedentium leges astricta, id est, naturalis esse debet: Utraque tamen per Josephum ad lineam Solomonis accedit. Sed de eo in seqq.

XI. Evidem ingens interpretum Exercitus, neque gregarii in hoc campo milites, nodo huic alium planè cuneum adhibent. Nam cùm S. Matthæus v. 11. dicat, *Josias genuit Jechoniam & fratres eius*: Rex tamen Judæ qui Jechoniæ nomine in S. literis venit, Josia non filius fuerit, sed ex Jehojakimo nepos, Spiritu S. teste 1. Paralip. 3:17. Jehojakimum secundæ, Jechoniam tertiae cohortis ducem constituant. Porphyrio id in rem judicatam abiisse videtur. Inde calumniam struxit Ecclesie & Evangelistam Mattheum falsitatis arguit, ut Hieronymus in Cap. I. Dan. loquitur. Quod nimurum Matthæus Joachinum omiserit. Atque in multis Codicibus (verba sunt Clariſſ. Millii) ante Jechoniam legitur Ianeiu (qualem codicem Versio vernacula Tigurina sequitur) vel Iwaneiu. Vel ne laboraret Tesseradecas, vel ne Josias Pater Jechonie diceretur: cùm Joachimi Pater, Jechoniæ Avus fuerit. Horum codicum fide, Joachimus in Brüllingeri, Stephani, Casauboni, Bökleri Editione occurrit. Syrus tamen, Arabs, codices Græci & præstantissimi & plerique, nullum Jakimum, unicūmque Jechoniam exhibent. Millius adversus Joachimum etiam rationibus pugnat. Intercalatione, inquit, bis peccatur. Primò, quod à receptissima lectione recedatur absque causa: siquidem Jechonias his ipse Joachimus videtur, quem insertum volunt: observante Epiphanio, Ambroſio, Augustino, fortè etiam Ireneo Lib. III. c. 30. Deinde, quod Jechonie posteriori, fratres tribuantur: qui quantum ex Sacris literis colligitur, nullos habuit. Ita nimurum confici arbitratur, duos Jechonias à Matthæo constitui: alterum Patrem, alterum filium.

XII. Nec nupera hujus Viri sententia est. Nimurum Critici Et geminum planè egregii, ita statuebant: Jebojakimi (cui Eliakimi nomen cùm Jechoniam effet,

estet, à Pharaone Nechoe Rege Ægypti in signum potestatis in eum, Jehojakimi impositum) & filii ejus *Iehoachini*, quem Nebucadnezar Patri perfido surrogabat, nomina à descriptoribus confusa, & duorum in unius Jehojakimi nomen conversum esse. Ita Josepho, Pater *Iosephus* filius *Iosephus* dicitur. Hæc, in primis à Græcis difficulter discerni poterant. Nec desunt qui Patri & Filio unum (Jechoniam inquam) nomen fuisse contendant. Jechoniam alium ὸπὶ τῆς μετονομασίας, alium μετὰ τῆς μετονομασίας à Matthæo innuit: quorum ille in V. T. *Jehoachimi*, iste suo *Jechoniam* nomine veniat. Nimirum ut Zedekias, etiam Matthania: Ozias, etiam Asarias dictus: Ita Joachimum binominem esse potuisse. Iste magno pignore certarent, Matthæum utrique Regi idem Jechoniam nomen dedisse. Cum ergo ineptus descriptor nomen hoc bis positum vidisset, unum, quod redundare id ei videretur, resecuisse. Sed excogitatum hoc commentum de duobus Jechoniis, nobis non magis in subsidium vocandum est, quam Millio Joakimus videbatur. Matthæus unicum Joachinum exhibit. Hunc in duos dividendum non magis persuadere nobis possumus, quam Davidem primæ tessera decadati insitum, ab eo qui secundâ legitur, diversum esse. Jechonias genitus ὸπὶ τῆς μετονομασίας, idest, transmigratione imminentे & veluti ad fores Regni Judaici excubante. Quod filio Jechoniam melius quadrat quam Patri Jehoakimo. Quid? quod Kimchi 1. Paral. 3:15. (clariss. Ligfooto teste) legit: *Josias genuit Jechoniam: Nepotem scilicet ipsius ex Patre Joachim. Ille autem (sic laudatus Ligfootus) Joachim qui non erat dignus luctu, & sepulturâ Regum Juda Jerem. 22:18. non certè dignus erat, qui Genealogia Christi insereretur.* Oper. Tom. I. p. 277. b. Denique absque isto commento, Generationes Classis hujus salvas esse earumque numerum confici posse suo loco ostendere satagamus. Jechoniam 1. Paral. 3:17. unicus frater, Zedekias, assignari videtur, cum ei à Matthæo plures tribuantur. Sed annon etiam Jacobo fratres vendicantur? Genes. 27:29. At præter Esavum nullus ei fuit. Qui nescit Enallagen numeri S. litteris frequentissimam esse, M. Bochartum consulat, *Hierozoic.* V. 4. Ignorabat sorte S. Matthæus Zedekiam primum, Jechoniam πατέρα δελφον, 2. Paral. 36:10. fratrem ejus dici? Et quid si dicam, forte plures Jechoniam fuisse fratres, sed improles? Unde eorum in Genealogia

gia ratio non habita. Quid si Spiritus S. duas Generationes (Patris & filii) in unam conflare: Patrem supprimere, filium exprimere: Simul judicium Dei indigitare voluerit, quòd cùm religiosissimus Josias quatuor filios reliquerit, quorum tres ad sceptrum admissi, fato tamen urgente, Davidis familiæ adeoque tribui Judæ sceptrum in eis ablatum, nunquam restituendum, sed in futuro Messia in luculentiores dignitatem convertendum? Nam quod Clariss. Huislinga conjicit, Jechoniam & fratres conjungi, ut fratres, id est, Patris Joachimi fratres, in computum veniant, Jechoniâ in tertiam classem rejecto, ad palatum non est. Quorsum fratres potius quām Joachimum in censum venire? Imò cur fratres, non Joachimus commemorati? Cur fratres Jechoniæ dicti, qui patrui ejus erant? Cur, Jechonias tanquam $\omega\phi\tau\pi\mu\pi\sigma\pi\tau\pi\omega\pi\tau\pi\omega\pi$ jam in secunda Classe, ad quam Viro doctiss. non pertinere videtur, in scenam produceretur?

XIII. Novum hoc est Exemplum libertatis quam Spiritui S. in Genealogia Christi describenda exercet. Etenim quarta hæc generatio est, ^{Eptimes} quam in Regia Majorum Christi linea dissimulare Spiritui S. visum. Si calculum recte instituamus, à Davide ad Jechoniam, non quatuordecim, sed octodecim generationes à S. Matthæo numerari potuissent. Gravissimas sapientissimásque Spiritui S. rationes fuisse, tot, & has quidem generationes supprimendi, quis dubitet? Mysteria hīc nobis insinuari certum: idque à nobis notari fas est. Encleari & exhaustiri, quia Deus ea in thesauris suis recondita esse voluit, à nobis nequeunt. Naaman ad Elisæi ædes divertens, præsumebat eum egressurum, nomen Jehovæ invocaturum, & manum suam agitaturum in partes corporis sui lepræ infectas. At Spiritui S. id displicuit. Elisæus enim Spiritu Dei suggerente, per internuntium cum eo egit, eumque ad Jordanem, in quo septies se lavaret, ablegavit. Quod utut Naamano bilem concitârit & ridiculum atque ignobile consilium visum fuerit, famulitii tamen officii ei præscripti facilitatem urgentis) precibus inductus, cùm pareret, expertus est, Deum modo & mediis à nobis non exspectatis & præjudicio nostro contrariis maxima nobis largiri. Ita stultitiae humanæ frequens est, abhorrere à verbis Dei, nisi hoc ordine, hæc Methodo, his Syllabis conceptiantur & proponantur, quibus præcipitantiæ & temeritati nostræ videtur. Cùm ille quo Deus utitur, sapientiæ divinæ illustrandæ &

ani-

5.
6.
7. 2.
8.
9. 2.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.

animis nostris serenandis ac sanandis , vel arrogantiæ nostræ prodendæ retundendæ & confundendæ , qui Dei in Scriptura loquens-
tis scopus est, longè utilior sit. ¶ Arithmeticæ & ars Heraldica Spiritus S. , tanto vulgarem superat intervallo , quantò Cœlum sublimius est orco.

*Augustini
& Spanhe-
mii verbis
illustrata.*

XIV. Lubet hæc roborare verbis Augustini contra Faustum XXIII. 2. *O si pio studio legisses Evangelium , & ea quæ te in Evangelistis tanquam repugnantia movissent , diligenter querere , quām temere damnare maluisses , ut saltem propter ipsam quæ quasi primâ fronte occurrit , apertissimam repugnantiam cogitares , nisi aliquid illuc magnum lateret , difficilè fieri potuisse , ut tanta eis autoritas in terrarum orbe præberetur , quā sibi tot hominum Doctissimorum ingenia subigerent . p. p. Acutos & doctos viros , divinarum Scripturarum pertractatores , vidisse quidem hanc diversitatem : sed piè cogitantes tantæ autoritatis eminentiam latere ibi aliquid credidisse , quod potentibus daretur , oblarantibus negaretur : à quærentibus inveniretur , reprobentibus subtraheretur : pulsantibus operiretur , oppugnantibus clauderetur . Petierunt , quæsiverunt , pulsaverunt : acceperunt , invenerunt , intraverunt . Nec minus egregiè Spanhemius part. I. Dub.VI. II. Eadem hic obscuritatis causa subest , quæ innumeris locis aliis perplexis & involutis : ubi pari ratione quæri potest , cur Spiritus S. non hoc vel illo modo locutus fuerit : clarius videlicet & facilius pro nostro captu . Scilicet nos Spiritui S. legem figemus , nec illi integrum erit ad nos exercendos & subigendos , ejusmodi vocibus in speciem obscurioribus pro arbitrio uti , quæ & faustum nostrum retundant , & diligentiam accendant in examinandis & conferendis Scripturis : Et verò etiam inserviant probandis & detegendis ingeniosis desultoriis , quæ S. Scripturæ Majestatem & veritatem , ob pauca illa ἐναντιοφανῆ , in rebus ad salutem non necessariis in dubium vocare satagunt . Hoc tamen mirandum , tametsi in nominibus & numeris pleraque ἐναντιοφανῆ occurrant in S. Scriptura , quæ salvâ fidei integritate & sine ulla salutis iactura ignorari possunt : cautum tamen voluisse Spiritum S. nobis , in necessariis , ad formandam fidem & componendam vitam ad cultum & obsequium Dei &c. In quibus cardo salutis versatur , in primis שָׁרֶד בְּרֵךְ radix verbi τὸ ρῆμα τῆς πίστεως Rom. 10:8. λόγῳ δικαιοσύνης Hebr. §: 13. qui etiam κλεῖς clavis cognitio-
nis salutaris Luc. 11. dici meretur , in S. Codice ita perspicuè propo-
nuntur ,*

nuntur, ut etiam pueri assequi queant. Eadem Scriptura alia proponit, quæ difficultate suâ ipsos τελείους exercitos habent. In quibus nonnulla sunt quæ quum adversâ fronte cum aliis pugnare videntur, propriis inspectâ cum eis amicè conspirant. Si tandem non plenâ radient luce, neque solidâ autoritati, neque necessariâ perspicuitati Script. S. tantillum detrahitur. *Unitate gaudent & in Christo unum sunt, et si aliud aliud, & aliud aliud, aut aliud aliter & aliud aliter, vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria: Si pius lector accedat, si mitis legat, si non hæretico animo, unde rixetur: sed fidei corde, unde & disicitur, unde inquirat, Aug. adv. Manich. III. 3. monet.*

XV. Jechonias huic filius contigit Schealtiel. Sanè Spiritus S. Regia dignitas in Se. Jechonias denuntiabat: *Scribite virum hunc יְהוּן sterilem, hominem loomonis po- ejus quisquam sedens in throno Davidis, וְהַנָּסֶן potestatem habens am- steritate ex- plius in Iuda, Jerem. 22: 30. Quandoquidem verò non tantum S. ta Jereme. Matthæus Salathielem Jechonias filium fuisse afferat: sed etiam 22:30, verbis ex Jeremia productis, nec non vers. 28. Jechonias tribuatur semen, & I. Paralip. 3:17. 18. septem (Asir enim non proprium sed appellativum, non filii alicujus nomen, sed Jechonias cognomen est, de quo Ligtf. in Matth. 1: 12. Spanhem. Dub. XII. aliisque videri possunt) ejus filii numerentur, quorum primogenitus Schealtiel: necesse est, dici eum יְהוּן sterilem, non quod אֲשֶׁר improlis moriturus, ut Broug- thono aliisque videtur: sed quod ex Davidis posteritate Regum ultimus futurus esset, neque filium neque alium de posteritate sua, vel Regem vel quovis alio Titulo נָסֶן genti suæ dominaturum ha- biturus. Unde captivitas Babilonica Calvinus aliqua interitatis species dicitur. Conf. Jer. 36: 30. Nimirum singuli, à Salomone ad Jecho- niam usque, à Matthæo recensiti, linea recta à Solomone descen- dunt. Idem Reges erant. Sed Jechonias, præterquam quod non nisi trimestris Rex fuit, Throno per Nebucadnezarem deturbatus, Babelem deportatus, nec ut quondam Manasses ab Assyrio, Patriæ, libertati & dignitati Regiæ restitutus est, sed multò maximam vitæ partem in carcere consumit: Regii fortassis ipsius Jechonias liberi, ex comminatione Elaj. 39: 7. Regis Babiloniæ Ministri facti.*

C

XVI. Sa-

5.

6.

7. 21

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

*Familia
Davidica
stans sub
& post cap-
tivitatem.*

XVI. Sanè deinceps Sceptrum à Juda prorsus ablatum: & dignitas Regia in Judæis exinde expiravit. Quod ipsum ominabatur, magnum illum ex posteritate Davidis nasciturum Regem, minimè ex Solomonis linea descensurum. Adeò quidem ut, quod primè Irenæus *adv. Heres.* III. 29, 30. notāvit, si Jesus Josephi, ex Solomone per Jechoniam descendantis genuinus filius fuisset, Rex i. e. Messias esse non potuisset. Quibus adde, quod postquam Deus linea hactenus Regiæ, dignitatis hujus continuationem in ea denegavit, familiæ tamen Davidis, promissionem Regis Magni ex ea nascituri confirmavit: *tum* ut confunderentur & confutarentur qui causabantur, Deum *familiam* (Davidis) *quam elegerat rejecisse*, nec promissionem præcipuam ei factam præstirum: *tum* ne ignorarent, Regem hunc non ex Solomonis, sed ex alia Davidis linea expectandum. *Jer. 33: 17-26.* Evidēt Solomonæs Babelem transportatis tum in Judæa *Jer. 41: 1.* tum in Babel *Dan. 1: 3.* nonnulli superst̄itabant. Porrò à captivitate quidam ex reliquiis, Ducali potestate populo præerant. Sed nemo de Jechoniac semine reliquo sanguine Regio, *potestatem habuit in Juda.* Sine publica autoritate inter fratres vivebant. Reip̄sis, ut Josephi exemplo constat, ad asciam contractâ. Quia tamen promissiones illustres Domui Davidis factæ hactenus nec præstitæ: nec frustrare Israëlem poterant, ipsa Domus tempestate illâ periire minimè debebat. Quin (& quidem duæ ejus Familia nobilissimæ) ad Messiac adventum usque conservata. Eclipsin quidem ingentem passa est. Eadem tamen cùm occidisse, & extincta videbatur, serenissima lux affulxit, Zorobabel, seu Serubbabel, ut *Neh. 12: 1. 46.* exprimitur: quod *semen*, vel ut alii, *Desertorem Babelis* designat, Sealthielis filius, Haggæo & Zachariæ laudatus: Populi reduc-

*De regno a cis נְצָרָה Dux Efr. 5:14. Hagg 1:14. 2:2. 21. נְצָרָה Princeps, Ethnar-
Davidicis cha, Efr. 1:8.*

*anferendo
& Ducatu-
terum occurrit Psal. 89: 40. 45. quo Ecclesia cladem illam emi-
ei succeden-
tes, in Na-
shinidas
transfere-
do, oracula
P. 89: 40
199. Ezech
21: 25. seq.*

XVII. Illustra in primis in hanc rem sunt duo oracula. *Al-*
terum occurrit *Psal. 89: 40. 45.* quo Ecclesia cladem illam emi-
nus, & quasi in caligine prævidens, *Rupisti* inquit, *fædus servi tui:*
thronum ejus in *terram* *projecisti.* Solicita nimirum ne clades tan-
ta linea & throno Regio inflicta, Messiac sive adventui sive Reg-
no officeret, & fæderis de throno Davidis æterno per Messiam oc-
cupando rupti, omen esset. *Alterum*, plenius & majori luce instru-
ctum,

Etum, Ezechieli, qui prioris oraculi implementum, vel si mavis implementi incunabula cominus vidit, dictatum: Ezech. 21:25. al 30. seq. Tu נְשֵׁא רָשֶׁן profane, impie, Princeps Israel, cuius venit dies בַּעַת שׁוֹן קָרְבָּה in tempore pravitatis finis. Sic dixit Dominus Iehova הַמִּצְבָּה auferendo auferam cedarim: tollendo tollam Coronam. Hæc ea non est. Quæ humiliata est, exaltando exaltabo, altum humiliando humiliabo. Corruptum, corruptum, corruptum ponam illam. Etiam hæc nihil extitit: donec veniat cuius est Judicium, & dem illud. Regem temporis illius Zedekiam, נְלָמָד אֲסֵן sine religione: עַשׂ אָדִינוּ corruptorem justitiae, admonet, pravitati finem imponendum: Deum longanimitate abrupta jamjam vindictam exercitum. Qualem illam? primò, auferendam coronam: nullo amplius Rege, (ex Familia scilicet cui dignitas illa Deo ita disponente & annuente haec tenus concessa,) Israëlitis præfuturo. Conf. Jer. 13:18. Thr. 5:16. Deinde, successuram Cedarim, ducalem autoritatem. Tertiò, nec istam potestate suâ diu gavisuram. Quippe à Davidicis in Maccabæos transferendam & eorum ambitione in Regium Diadema convertendam. Sed quartò, hæc non est hæc. Quia nullus horum Davidis Familiæ editus, Maccabæi suppressi, coronâ eis ab Herode eruptâ, & sibi impositâ. Sed nec iste futurus erat Rex ille Magnus, Thronum Davidis olim occupaturus. Quintò, ut ut verò Davidis illa Domus adeò depreßa & vilis futura erat, olim ab exteris, Assyriis, & Chaldaëis, denique à popularibus & inquilihis obscurata: tandem juxta Ecclesiæ oraculum, gloria illi promissa, excitanda & aliquando in eo raditura erat, ambitionis illis usurpatoribus ad tenebras damnatis. Nam quantuscunque Herodes fuerit, non tamen ille erat, qui semper regnaturus erat, & ad cujus pedes, hostes Dei projici debebant. Sextò, dum ista fierent, tandem apparitus erat filius ille Davidis, Judicium & justitiam in terra facturus, Jerem. 23:5. 33:15. 16. cui Deus omne Judicium traditus est. Quia qui Deus est benedictus super omnia in secula, filius etiam hominis factus est: cujus potestatis acceptæ, in liberando populo, & puniendis rebellibus Israëlitis specimen datus erat. Dictum factum. Regia dignitas à Jechonia ablata, à Nepote ad Patruum ascendit. Mox eidem erupta, & prorsus extincta est. Majestas ad Nathanis lineam delata, cujus, incin-

scintilla, vel potius umbra, in φυλαρχίᾳ (quam Calvinus sceptri Regii fragmentum nuncupat) Zorobabelis, fortassis etiam aliorum familiæ sūæ, emicuit. Pleno jubare demum radiavit, cùm is venisset ρων
ρων ἵ cui jus in coronam erat. Quod ipse Abarbanel de Mellia interpretatur: in quo videlicet Regnum Davidis regerminaturum: & cui jus hæreditarium, non obstante illo interregno, integrum mansurum sit. Vide Clariss. Alting. Schilo Lib. II. c. 6. Ut enim Deus Jerem. 22:24. De Chonia (germinâ Syllabâ quam infelix Rex ex nomine Dei sanctissimo mutuabat, omisiâ: tum quòd populus ejiciendus esset ex terra, cuius professionem jamjam conferendam, Deus Exod. 6:3. nomine illo confirmabat: tum quòd Rex tam illustri nomine indignus esset) ut, inquam, Deus de Chonia dicebat, *etiam si annulus signatorius in manu dextera mea esset, tamen inde avel lam te:* Ita vicissim de Zorobabele Hagg. 2:23. *Assumam te, ponámque te ut annulum signatorium, quia te elegi.* Scilicet ut Deus sub primo Templo Pontificatum maximum, ita altero stante Templo dignitatem populi sui Principalem, ob hominum arrogantiam & malitiam, unius, illuc Aronidarum, hinc Davidicorum linea ademtam, alteri consignavit. Atque ita *omnes agri agnoverē, quòd Jebova humiliaverit arborem altam, exaltaverit arborem humilem: exarefecerit arborem viridem & fecerit germinare arborem aridam.* Ezech. 17:24.

Sealthiel
m̄lins à
Matthæo,
à Luca
alius com-
me moratur.

XVIII. Evidem etiam Salathiel illi, quem Matthæus in Theatrum producit, filius fuit Zorobabelis nomine insignis. Vetant tamen verba Dei quæ ex Jerem. 22:30. in medium adduximus, asserere, isthunc Ducatu fuisse illum. Qui semel in animum induxerunt, Jechoniam, ex comminatione ista Dei *attenuov* constituerent, in omnes se vertunt partes, ut unum eundemque Zorobabelem ab utroque Evangelista indigitari evincant. Imprimis quòd utробique Pater & Filius cognomines legantur. Sealthielem ergo eundem, qui juxta Lucam 3:27. filius Neri fuerit; à Matthæo 1:12. recenseri, ut Jechoniac filium: non Nativitatis, sed successionis jure. Quemadmodum etiam Zedekias, Patruus Jechoniac, eodem successioni Titulo, ejus *Filius* nuncupatus sit. Aliis, Sealthielem à Neri genitum, ex Jechoniac vidua: aliis, Jechoniam ob ducentam defuncti Neri viduam, Sealtielis vitricum factum: Aliis, Jechoniam τε Neri, vel hunc Jechoniac filiam duxisse, hariolari libet. Et quis tot alias con-

conjecturas ad digitos enumeret? Omnes eō tendunt, ut Nathanis & Solomonis lineaē permisceantur: Nathanidae, Solomonis lineaē inferciantur & supponantur: Illi in istorum castris recenseantur: adeoque ordo in Genealogiis observandus evertatur: quæ Spiritus S. distincta esse voluit misceantur, & Historiæ S. confusio gignatur. Vocabulum יְרֵא ab his æquo arctius astringi § 15. monuimus. Porro, & Matthæus & Annalista Sacer 1. Paralip. 3. Sealthielem Jechoniae filium faciunt. Quid cogit ut eum Neri filium fuisse contendamus? Tertiò, si utraque (Solomonis & Nathanis) propago in Salathiele coaluit, & Zorobabel (communis Josephi & Mariæ Stirps) inde germinavit, consequens est, inde à Sealthiele apud utrumque Evangelistam, nonnisi Nathanis ἐγόνος quanquam per diversas ex Zorobabele lineaes, recenseri. Quorsum ergo ante Salathielem, diversas Davidis lineaes, tam operose deduci? Adde, quod apud Matthæum, τὸ γεννῶν, subinde etiam de mediata: Ut plurimum quidem de immediata: Nuspiam impropre, semper de vera generatione, adhibetur. Denique illis qui Solomonis non minus quam Nathanis familiam, ad Reip. finem conservatam sustinent, Regnum in Jechonia delisse certi sunt. At familiam Regiam cum eo exprimasse, liquere negant. Quin, ex Danielis 13. contrarium evenisse, colligunt. Deique providentiam, tantam utriusque familia mixturam præcavisse eisdem videtur. Tum quod disertam & expressam utriusque distinctionem legant Zach. 12. tum quod diversâ uterque Evangelista Methodo utatur, cuius destinatio illa apud Zachariam, veluti basis quedam est. Sive Jechoniae cum filia Neri nuptias affimes, aut τῷ Neri cum filia Jechoniae: sive Heli cum Matthanis filia, Jacobi Iorore, Josephi Amita affinitatem contraxerit; Solomonis & Nathanis familiam in unam conflatam consequitur. At nobis Confusio Stirpium tot seculis illibatarum, per tot incertas ex cogitatasque adoptiones, affinitates, aliasque ambages intempestiva videtur.

XIX. Quod si utriusque Sealthielis Genealogiam quam Evangelistæ pertexuere, cum V. T. Genealogiis conferamus, novæ fe objiciunt difficultates. Nam sunt quibus Zorobabel qui Matthæo teste, Sealthielis fuit, ab authore libri 1. Paralip. 3:19. Pedajæ filius: Adeoque Sealthielis ex fratre Pedajæ Nepos constitui, videtur. Sed

Zorobabel
1. Paralip. 3:
ab illo
Matth. 1.
diversiss.

hi assensum nostrum vix impetrant. Quod si enim à Matthæo & 1.Paralip.3. unus idemque Serubabel innuitur, Sealthielem ~~ātenvor~~
obiisse, ejus Viduam à Pedaja ductam, atque ita Sorobabelem Seal-
thielis filium, lege Leviratus fuisse necesse est: quod ἄγεσθον. Huic
accedit alia ratio: quod Spiritus S. in Libro Paralipomenorum,
Abiudem, quem Matthæus Sorababelis filium fuisse tradit, præteriis-
set: id quod vero admodum dissimile. Quia Familiam Soroba-
belis singulari operâ describit, plurésque ejus filios imò & filiam
exprimit: potius omnes alias, ut videtur, dissimulaturus. Eadem
sufragatur vis verbi ἐγένησε, quō *naturalis*, non *civilis* generatio
à Matthæo indigitatur. Atque hæc ipsa emphasis impedit, ne Seal-
thiel Jechoniæ filius dici possit ob successionem. Quanquam nec
inficias iverim, si Genealogiam filiorum Perez 1.Paralip.9:4. cum
ea quæ Neh.11:4. repetitur, contendas, liquidum fore, eisdem Perso-
nis, imprimis à Babilonica Captivitate, diversa nomina fuisse data,
quod Genealogiarum difficultatem admodum auget. Quid quod
Clariss. Lightfootus (cui Abiud & Rhela, ejusdem Sorababelis filii
& quidem 1.Paralip.3. commemorati fuisse videntur) observat, his
Zorobabelis filiis in Babilonia degentibus, ea quæ 1.Paralip.3. le-
guntur: In Patriam reducibus, ea quæ in N. T. habentur nomina,
data fuisse. Diligentissimus Chemnitius, qui ad eandem anchoram
olim se receperat, inter nomina Sealthielidarum 1.Paral.3. & illa
quæ Matth. 1. leguntur, maximam affinitatem ostendete annititur

X X. Sed quidnî & Matthæo credamus, Salathieli filium
tribuenti, qui Sorobabel insignitus fuerit: & Scriptori Sacro
1.Paral.3. quod Pedaja filium ediderit, Zorobabel cognominatum?
Ais, ita agnosci tres Sorobabeles: Duos quidem in Salomonis, ter-
tium in Nathanis linea. Quid tum verò? Spiritus S. 1.Paralip.3.
Jechoniæ Filium Sealthielem: sed posteritatem ei nullam tribuit. Ibi-
dem Serubabelem legimus qui Jechoniæ quidem nepos fuerit, sed
Patre Pedaja. Matthæus perinde Serubabelem Jechoniæ nepotem
dicit, sed Schealthiele natum. Itaque Spiritu S. teste Jechonias
duos nepotes habuit cognomines, alterum ex Pedaja, ex Schealthie-
le alterum. Schealthieli filium fuisse Serubabelem, ante Matthæum
& Lucam scripsere Haggæus 1:1.12.14. 2:1.23. Esra 3:2. 3.Machab.
5:5. nec non Josephus. Quis non animadvertis, toties istum hac
notâ

Num tres
Sorobabe-
les?

notā describī, qnō à Pedajæ filio, aliove Sorobabele discerni posset? Enimverò Spiritum S. nobis persuadere voluisse, eum Pedajæ filium fuisse: tamen eundem semel iterumque, & frequentissimè Sealthie-
le editum dicere, credant quibus cornea fibra est. Inprimis quia,
ut monuimus, Sorobabeli 1. Paralip. 3. Matth. 1. & Luc. 3. posteritas
diversa ascribitur. Quid ergo? Duo hic notari velimus. *Prius* est,
duos quidem Schealthieles in S. Annalibus occurtere, quorum alter
Jechoniam, alter Neri patrem habuerit. Illum 1. Paral. 3. & Matth.
1. legi, hunc Luc. 3. Nam 1. Paral. 3. & Matth. 1. unum eundemque
Schealthielem notari nulli dubitamus. Utrobique Pater ejus dici-
tur Jechonias. Utrique locus datur in linea Solomonis. Excipienti,
Schealthielem 1. Paral. 3. orbūm, Schealthiel apud: Matthæum filium
fuisse: reponimus, à Spiritu S. cui stat pro ratione voluntas, Scheal-
thielem 1. Par. 3. non dici ἄτενον fuisse: familiam quidem ejus illuc
non describi: defectum autem hunc suppleri Matthæi calamo, qui cit. l.
duo monet, & filium Schealthieli fuisse: & eum Sorobabelis no-
men habuisse. *Posteriori* loco notamus: in Genealogiis Sacris tres
Sorobabeles agnoscendos videri. Primi nomen exhibetur 1. Paral. 3:
19. Pedajæ filius: alter Schealthielis illius 1. Paral. 3: 17. memorati fi-
lius, de quo Matth. 1: 12. Tertius etiam alicujus Schealthielis filius,
Luc. 3: 27. Certè Sorobabel 1. Paral. 3. narratus, ab eo qui Matth. 1.
uterque ab eo qui Luc. 3. legitur & Patre & sobole diversus. *Primo*
Pater Pedajas, filii Mesullam &c. *Alteri* Pater Schealthiel ex Jecho-
nia, filius Abiud. *Tertio* pater Schealthiel ex Neri, filius Rhesa tri-
buitur. Ergo minimè miscendi. Cæterūm hic Nathanis abnepos,
Luc. 3. narratus, nostro quidem calculo, ille ipse Ethnarcha & *dux in*
Juda est, qui Chaldæis Sesbazar dictus Esr. 1: 8. quemque Haggæus 1:
1. Esr. 3: 2. liber 3. Esdr. 5: 5. nec non Josephus, ut Sealthielis filium
describunt, & cui Spiritus S. Hagg. 2: 23. & Zach. 4: 7. tam solennia
promittit. Cùm ergo in his singulis, & quidem in linea eorum
ascendente & descendente, alia & alia nomina reperiamus, nisi vim
Spiritū S. verbis facere, & ejus industriæ illudere velimus, Genea-
logia illæ minimè confundendæ sunt: Nedum ut universas ad unam
eandemque Personam referamus.

XX I. Verūm de *Tertio* Sorobabele quicquid sit, ratum nobis
est, alium à Matthæo, alium à Luca recenseri. Uterque à Davide:

In S. Evan-
gelistar.
Genealogiis
Sorobabeles
Sed etiam al-
teris.

Sed alter per Solomonem, alter per Nathanem descendit. Utrique Pater Sealthiel contigit. At Zorobabelis apud Matthæum avus *Jechonias*, Filius *Abiud*: Illius apud *Lucam* Avus *Neri*: filius *Rhesa*. Ex illo *Josephus*, ex hoc *Eli*: Jesus ex illo, filius *promissionis* & Rex; ex hoc *secundum carnem*, seu per Generationem. Christus apud Matthæum, à Sorobabele *duodecimus*, apud *Lucam decimus nonus* est. Ille quibusdam *captivitate* durante & quidem *proiecta*. Iste *ante captivitatem* natus videtur. Siquidem cùm populum in Patriam reduceret, annis fuisse maturum vero est simile. Sanè Sorobabel, quin ipse Matthæi Schealthiel, μετὰ τὴν μετοίκειαν genitus videtur. Quod fortassis etiam inde colligere licet, quòd Jechonias aliquot filiorum Pater repræsentatus, 1. Paral. 3:17. dicitur ὁ δε vinctus: quòd, cùm filios ederet, non sui juris, sed in carcere esset: Nebucadnezare vivo, durius fortassis habitus: ab ejus tamen filio Evilmerodacho è carcere eductus, & æquius tractatus 2. Reg. 25:27. Jer. 52:31. Monendum etiam, primò μετοίκειας vocabulo Matth. 1. non totum exilio & captivitatis Judaicæ tempus, quod 70. annos comprehendit: sed migrationem in exilium, innui quæ (quippe tribus aëtibus & veluti gradibus constans) integro decennii spatio circumscribitur. Deinde, quando Jechonias genitus dicitur ὁ δε τῆς μετοίκειας, non intelligendum de transmigratione *præsente* aut *facta*: sed *imminente*, proximâ. Unde *versu 17.* quatuordecim generationes numerantur, à Davide εώς adusque, ante suscepitam *abductionem*. Sed illud μετὰ τὴν μετοίκειαν explicandum, durante adhuc exilio: Jechonia inquam non regnante: & ne quidem in Patria, sed apud Babilonios vivente, vers. 17. οὐδὲ post deportationem &c. Ut Doctissimo Eglino Schealthielem ante Jechoniac deportationem natum afferenti, *de Genealogia Christi* p. 40. § 102. seq. calculum adjicere non possum. Dubitas eodem tempore duas tam illustres Personas idem nomen gesisse? Memineris, *tum* ætate dispare fuisse videri: *tum* nomina quæ vel boni ominis, vel præstantium virorum essent, pluribus fuisse imposita Luc. 3: 24.29. Matthat & Levi sibi succedentes, bis concurrunt (Conf. 1. Paral. 6:7.8.11.12.). Idem præter Matthatas, duos Matthatias recenset vers. 25.26.31. quatuor Josephos, vers. 23.24.26.30. Verum quòd ὄμοιοι cognomines, etiam ὄμοχοι contemporanei esse possint, evincunt Joas & Joram, Reges Judæ & Israëlis.

XXII, So-

XXII. Sorobabel Matthæi, *Abiudem: Lucæ, Rhesam* genuit. Ne- Genealogia
 que hos, neque eorum posteros in V. T. scriptis legimus. Neque Sorobabelis
 adeò tamen solliciti sumus, unde hoc S. Evangelistæ hauserint? utriusque,
 Amanuenses Dei erant, quibus Spiritus S. Doctor contigit. Unde ab
 didicit Matthæus, quòd Salmon Rahabam duxerit? Quidnî verò il-
 lis etiam ad manus esse potuerint, Tabulæ illæ quibus Judæi publi-
 cè & privatim usi sunt? Consule Clariss. Ligfoot. in limine *Hor. ad*
Matth. Adde Autor. *ad Quest. Orthod.* 133. Nec prætereundum,
 quod 3. Esdr. 5:5. Sorobabeli filius tribuitur, *Joachimus.* Evidem
 apud Matthæum Sorobabelis filius Abiud, hujus *Eliakimus* fuisse tra-
 duntur. At id nihil est. Nam nomen Eliakim, ut *Dissert. pr. § 25.*
ex 2. Reg 23:24. ostendimus, permittatur cum nomine Jehoachimi.
 Non majoris momenti est, quòd Joachimus iste *filius* Zorobabelis
 dicitur, qui secundum Matthæum *Nepos* ejus fuisse. Quid enim
 ea re in V. T. libris frequentius? Quamdiu Prophetiæ donum in
 Ecclesia viguit, Spiritus S. Prophetarum Ministerio in Genealogiis
 S. recensendis uti voluit. Quia captivitate caligo aliqua luci isti
 offundebatur, Esra & Nehemia industria, genuina à spuriis, certa
 à dubiis secernebantur, & nobilis ista Historiæ S. pars sinceritati
 suæ restituebatur. Prophetis brevi post populi ex captivitate redi-
 tum, Ecclesiæ subtractis, hæc etiam opera privatæ populi industria
 relicta est. Atque hujus rei fortassis documento est, illa ipsa Da-
 vidicæ Familia in *Domum Davidis*, nempe per Solomonem, &
Nathanis, non sine instinctu divino, apud Zachariam, facta & ab
 Evangelistis observata distributio. Ut minimè dubitandum sit,
 Sanctos Evangelistas omnino exploratum habuisse, qui de hac illá-
 ve Familia sint: neque adeò vel de bona Evangelistarum fide, vel
 de Genealogiarum per illos descriptarum genuino ordine, scrupu-
 lus supereesse debeat. Evidem imprimis quia scripserunt Φεργε-
 νοι ἐν πνεύματι αὐτοῖς: & quia inter Judæos & in eorum gratiam
 scripserunt. Denique quia scopus utriusque recensionis hujus fuit,
 demonstrare quòd Jesus sit Christus, nostram de eis πληρωθείαν
 planè cumulat. Siquidem miseri omnino & ridiculi fuissent, si in re
 omnium graviissima, & accurato Judæorum examine excusâ, ac assi-
 duò ventilata, in doctrina inquam de Messia adventu, Fundamenti lo-
 lo ea adhibuissent, in quibus Judæorum obstinatissimæ & Genealo-

5.
6.
7. 2.
8.
9. 2.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.

giarum curiosissimæ genti vel minimus scrupulus reliquus esse potuisset. Cæterum non tantum neglecta post captivitatem Arcæ fœderis restitutio, sed ipsum hoc Genealogiarum à Spiritu S. insuper habitarum Exemplum docet, Spiritum S. sensim atque sensim populum suum ablactare, vincula servitutis solvere, eosque ad libertatem præparare voluisse.

*Tertia Tertiæ
sera decadent
Generatio-
nes ultimæ
anquirun-
tur.*

XXIII. Siquidem ætas secunda, numerum quatuordecim generationum quem Matthæus seftabatur, excessit: Spiritus S. unam alteramque inde resecuit. *Tertia* verò ejusdem Genealogiæ Periodus bis deficere videtur. Etenim *primò*, à Sealthiele ad Josephum, non nisi duodecim exhibentur à Matthæo: cùm vers. 17. à *transmigratio-
ne ad Christum*, generationes quatuordecim decurrisse, ipse disertè com-
memoret. Considerandum verò hic nobis, quia Matthæus eas *adus-
que Christum* deducit, fine dubio Christum ipsum eis includendum. In superioribus enim Generationibus nemo disertè expreflus, qui non reliquis connumerandus fuerit. *Deinde*, ubi *decima quarta Generatio* quærenda sit? omnis ætatis Interpretes admodum exercut. Equidem pseud-Evangelium Matthæi Hebraicum, inter Eliakim & Azorūm medium interposuit *Abnerum*, Hammondo non invito: Etsi lectioni isti Codicum Græcorum nullus suffragetur. Sunt qui capiti hujus Classis, consulendum rati. Itaque Jechoniam ejus ducem constituere. Alii in Classis *calce* suppetias ei quæsiverunt. Si rem pro-
piùs introspiciamus, Spiritus S. non ita nos destituit, ut non aliquam in hac caligine faculam nobis præferat, quam obseruemus: aut va-
dum præmonstret quod in hac Στοιχίᾳ tentemus. In *Jechonia* ni-
hil præsidii esse, superiora docent. In *calce* nisi omnia fallunt, præ-
sentius subsidium est. Etenim Matthæus, tum *Christum* tum *Ma-
riam* commemorat: quam non minus ac Christum, ad hanc Ge-
nealogiam pertinere, nemo in dubium revocare potest. Tum quia Christus, ex Maria jus Regni quod Josephus habuit, consecutus est: Tum quia Josephus nil quicquam ad Christum spectat, sine Maria. Hinc ad primam Mariæ commemorationem, vers. 16. Spiritus S. adjicit, ἐξ Ἰερουσαλήμ χειρός ex qua natus est Christus. Denique Christus, filius Josephi est: sed propter & per Mariam. Non quia ipse Christum ἐγέννησε: Sed quia Christus ἐγέννθη ex B. Virgine, uxore Josephi. Saltus ergò illegitimus est, à Josepho immediate ad Christum descendere.

XXIV.

XXIV. Fateor , Virgini Genitrici , in Josephi Genealo- *Qui B. Vir-*
 gia generationem assignare primo intuitu videri duriusculum : & *gini locus*
 quia ex diversa Familia fuit : & quia in Genealogiis uxoris & Ma- *in ex debeat.*
 ritus, quippe una caro, non geminam generationem constituunt. Sed *sur.*
 Christus №2, Persona extraordinaria , præterordinariam Genealo-
 giam, & quæ insoliti aliquid haberet: non minus quam conceptio-
 nem supernaturalem poscebat. S. Maria Generationem singularem
 non eo Titulo & ordine constituit, quo Josephus ejusque Majores,
 non magis quam Christus ; qui neque à Josepho neque à reliquis
 ejus Majoribus Davide posterioribus ortum traxit. Distinguit eum
 ipse S. Matthæus à reliquis. Verbum ἐγένετο hactenus ei frequen-
 tatum, de Christo non adhibens. Maria *Virgo* peperit. Sola fuit
 Mater Christi, absque Viro. Cur ergo excludatur, eo prætextu
 quod ex Solomone non descendat ? Quanquam enim Filia Jose-
 phi dici nequeat, tamen Josephus hoc loco non ut Pater γενήσις,
 sed ut sponsus Mariæ recensetur: quod Mariæ & Christi prosapia in-
 de cognoscatur, & Jesus Abrahami & Davidis filius intelligatur.
 Postquam Spiritus S. prolem numerare desisset, incipit Generatio-
 nes Josepho posteriores, id est , ætate inferiores recensere. Qualis
 cum Maria & Christus essent, nihil impedit quod minus quatuorde-
 cim Generationibus à Sealthiele ad Christum decurrentibus accense-
 ri possint. Evidem conjuges v. gr. Juda & Thamar, Booz & Ruth
 &c. in S. Matthæi Genealogia unam generationem constituunt:
 quia proles pariter ad Judam atque ad Thamarem &c. pertinet, utroque
 parente orta. Sed Josepho & Mariæ diversa generatio assignanda
 fuit, quod constaret Jesum esse Virginis , non Josephi filium.
 Si Josepho Maria collateralis fiat, & Josephi generationi includatur,
 Christus instar quorumvis aliorum hominum, *ex libidine carnis* &
ex libidine viri conceptus videri possit: quem gravissimum errorem
 Spiritus S. Genealogiâ hâc, tum declinat tum convellit. Denique si
 fæminarum in Genealogiis non habetur ratio ordinariè, id tamen
 factu opus erat in casibus extraordinariis: quod 1. Paral. 2:16. 34. Ze-
 laphehadi filiarum exemplo constat. Nostra hîc facimus Verba,
 Critici ingeniosissimi Ludovici de Dieu : *Miror nî hanc esse sim-
 plicissimam, difficultatibus nullis implicitam, adeoque verissimam senten-
 tiā, omnes Docti fateantur, eoque nomine Doctissimo Viro* (Antonio

Thysio Leidensum Theologo Clarissimo) ingentes gratias nobiscum agant, qui nimirum primus huic nodo hunc cuneum adhibuit.

Mariâ Na- XV. Verum est itaque primò, ita filium Nathanis, posteritati
thanis filiâ; Solomonis inferi. Deinde, Josephi & Mariæ familiam Solomonis
Josepho So& Nathanis affinitatis vinculo coivisse. Nec tamen ita vel Familiarum confusio facta: vel lex Num. 36. insuper habita. Neque
lomonis fi- adeò hic est quod Africano, aliisve de quibus *diss. priore* § 23. sqq.
tion nuptiâ, *Melliae in* patrocinetur. Delicatulis, quibus nescio quo serupulo, B. Virginem
Solomonis linea rectâ à Solomone derivare libuit, respondemus: voluisse Deum,
lineâ com- ex Nathanis linea nasci Regem gloriae: sed Solomonis posteritati
pares. junctum: quò Davidis filius tantò evidenter agnosceretur, & de
 promissione Davidi impleta nullus hæsitandi locus superesset. Vide
diss. cit. § 39. Haud reluctamur, Solomonis & Nathanis posteros,
 quamvis ejusdem Familiæ essent, ramos tamen suis diversos: cœterū domo Davidis in arctum contracta & Solomonis & Nathanis posterorum tam exiguus esse potuit numerus, ut illa ipsa lex
 Num. 36. conjugii inter Personas illas sanctas contrahendi necessitatem imposuerit: Ut vel è Solomonis linea fæminæ restarent nullæ
 quas Josephus duceret: vel in Nathanis linea nulli adolescentes,
 qui B. Virgini nuberent. Davidis posteri vel non minus quam alii
 Judæi in varias orbis partes dispersi vel Herodis crudelitate aut temporis diuturnitate & iniquitate, fati certè immutabilitate, accisi, ramique diversi in unum truncum coalescere coacti, ad ἀφανισμὸν præcipiti cursu ferebantur. Hi & illi quod ex *Luc. 2.* constat, fuere in exilio, occasione invitante domum reduces, à suis non agniti: fortassis etiam bona patria, (*Rep. quippe inclinante*) ab aliis possessa.

Generazio- XVI. S. Matthæus tertiae huic periodo non nisi quatuordecim generationes assignat: quarum prima *Salathiel*, postrema *Christus*.
nes Classi- Lucas Majoribus Mariæ XXII. tribuit. Grotio videtur *id manifestum*
teria, à esse indicium, aliquot Personas à *Matthæo omissas*. Cùm omnino incre-
Grotio sup- dibile fit, ex duabus Familiis, ab eodem tempore ad idem tempus, hanc
posita. alterum tantum habuisse Generationum quam illa haberet; quamque
 putat Lacunam, septem anonymis supplet, quò Josephi & Mariæ,
 Majores pari numero incedant. Ut ut verò notorium sit, Matthæum in Tesseradecade secunda, nonnullos præteriisse, unde haud
 mirum plures apud Lucam quam apud Matthæum legi: Ideone
 ta-

❀) : (❀

29

tamen necesse est, à Matthæo in tertia ætate idem factum esse? Vel Deus lege se astrinxerit, æqualem individuorum numerum in singulis familiis conservandi? Conf. *Myll. Rabbinism* p. 1026. n. 2. Considerari meretur, quod Doctiss. Helvicus observavit, Lucam à Nathane ad Christum, idest, ex ejusdem Helvici computo, ab A. M. 2910. per annos 1023. Generationes 40. recensere: quæ singulis Viginti quinque annos relinquunt. Additis 15. annis ætatis Mariæ. A Solomone ad Sealthielem, per annos 450. decurrisse 18. Generationes, sic cuivis itidem 25. annos relinquunt. Vulgo tres, heic in utrâque Linea quatuor Generationes, singulis seculis tribui.

X XVII. *Uſus* varijs quoꝝ Genealogica Christi Historia Ecclesiæ sufficit, *dissert. utraq;* passim notavimus: quibus spicilegium adjicere animus nunc est. Maximè quum nonnulli in explicatione hujus argumenti æquo liberaliores, populum Dei pabulo salutari defraudent, & ad ea quæ à Spiritu S. scopo alienissima sunt, deflectant; acuminis scil. gloriam & auditorum applausum inde venaturi, quâ quidem umbrâ (maximè in officio, loco, & argumento Sacro) nihil vanius, Mysteriorum Dei Oeconomo nihil indignius est. Nobis observare aliquid lubet, in ipsis Christi genealogiam exhibentibus *Tabulis*: in earum scopo, *Christo* ex patribus secundūm carnem nato: denique in *Patribus* ex quibus carnem assumere voluit. De *Tabulis* ipsis notamus, exhiberi narratione hac Genealogica, mirabilem non modò librorum *V. & N. T.* curāperav, sed utriusque etiam Ecclesiæ consanguinitatem & nexus arctissimum. Malachias V. T. canonem obsignavit promissione *Solis Justitiae* propediem orituri, & *Eliae* eum præcessuri, Mal. 3:1. 4:2. 5. Scriptores N. T. in ipso Historiæ suæ limine, Matthæus quidem (& Johannes) *Jesum*; Lucas (nec non Marcus) *Johannem Baptistam* ostendunt, ad quos Malachias digitum intendebat. *Promissio* illa evincit, Ecclesiæ utriusque Testamenti unicum corpus, unicum populum constitui. Unus utrique Redemptor & Mediator contigit, de quo promissiones omni tempore, quanquam dispari luce factæ: ita tamen ut earum sensum ad salutem assequi, ipsamque salutem consequi potuerint. *Misso*, veritatis divinæ argumentum est, & N. T. præ veteri præstantiam absolvit. Christus autem librorum, utriusque Testamenti medulla est: fibula utriusque fæderis tabulas conne&ctens, & in unum Systema compingens:

D 3

ex-

Ecclesiæ
utriusque
Testam. uni-
tas & unio,

5.
6.
7. 2.
8.
9. 2.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.

exclusis Libris qui Apocryphi nuncupantur, quippe aut intervallo inde à Malachia ad Christum decurrente, quo toto nullus Propheta expectandus erat Mal.4:4. aut etiam seriūs, sed extra Ecclesiam Christianam exaratis: alias rationes ad compendium ponimus.

*Christus ho-
mo verus,
frater no-
ser.*

XXVIII. Cùm eadem Genealogiæ Christi descriptio, & ποδεζις sit pleraūque & præcipuarum Religionis Christianæ veritatum, trīgā nos expediemus: de Christi Persona, Officio, Beneficiis. Christi Persona, quæ SS. Trinitatis altera est, in unitatem assumit carnem nostræ per omnia similem, exceptō peccatō, Hebr.2:17. 4:15. Genealogiarum is usus est, ut vicinia carnis, quæ inter plures est ob oculos ponatur. Quām ergo non de Josephi ex Abrahamo, & de Heli ex Adamo nativitate dubitari potest, tam nefas est de Christi ex Abrahamo & Adamo secundūm carnem descendantia scrupulūm moveri. Unde pridem Irenæus *adv. Hær.* II I. 33. ex Genealogia Christi, quam Lucas descriptis, Christi cum Eva, ratione carnis, communionem urget. Quod illos confundit, qui nescio quam cælestem & divinam carnis Christi originem fingunt. Christum nil sibi ex B. Virgine Matre accepisse, sed carnem & sanguinem in corpus ejus intulisse, & per istud tanquam per canalem transiisse. Quæ si vera sint, Christus ut ut ex homine, & Davidis filia natus, nec Davidis filius, nec *ex Patribus secundūm carnem* Rom.9:5. natus est: & quia non habuit Patrem in terra, cum nullo alio hominum communionem carnis habet: non est cur *fratres suos nos dicat*, Hebr.2:11. nec jure cognitionis, *Goëlis* partes i. e. populi Dei patrocinium in se suscipere, eorum ex Satanæ, peccati, mortis servitute & vinculis assertionem à Patre postulare potuit: & tot ac tanti illi labores, agones, dolores, quos nobis sanandis tulit, ne hilum quidem nobis proderunt. Quin, Christus novæ creationis autor & novi mundi conditor, inter creaturas ordinarias & Adami peccatoris filios numerari haud dignatur, ne ullus scrupulus de vera ejus humanitate relinqueretur: persuasissimique adeo foremus, quod & corpus habeat oblationi idoneum, & sacerdos sit *ex hominibus sumptus*, infirmitatibus & miseriis nostris συμπαθῶν imò μετελοπαθῶν, non utcunque, sed *quantum peccatoribus satis est* & pro miseria clientum magnitudine, commisereri idoneus & propensus, Hebr.2:17. 4:15. 5:2. Genealogiam vero Christi qui ad regenerationem referunt, ineptiunt.

Equi-

Evidem Abrahamus *Pater omnium credentium* Rom. 4: 11. dicitur. Ergone omnis quam Matthæus ei tribuit posteritas fidelis? Nulli ante Abrahamum in Christum credidere? Nulli alii post Abrahamum, quæm quorum nomina Matthæus exhibet? Ipse Christus in renatorum numero? Scopus utriusque clarissimè ex Luca patet, qui ab Adamo primo incipit, in secundo desinit: quod conslet, *Sanctificantem & Sanctificatos ex uno (sanguine Act. 17:16.)* omnes, in Christo autem omnia (ut Irenæus l.c. loquitur) *recapitulata esse*, Hebr. 2: 11. Matthæus ostendit fidem liberatorem promittentis: Lucas quod promissus, *frater noster sit*. Istud *necessitatem*, illud *veritatem* redemptoris demonstrat.

XIX. *Officium Christi si in Genealogiis Evangelicis quæras,*
Jesus, B. Virginis Josepho despontata filius, prima statim fronte se
in eis offert ut benedictionis Autorem Abrahamo, & Regem Davidi
promissum, i.e. Messiam. Cum universis aliis Messiae characteribus,
etiam hunc habet, quod non tantum Adamo, sed etiam Abrahamo
& Davide ortus sit. Quanquam enim non quisquis filius Abra-
hami & Davidis erat, vel ie Messiam profiteri, vel ab aliis pro Mes-
sia haberi debuerit. Non tamen pro Messia agnisci poterat, qui
Abrahami & Davidis filius non erat. Porro si quis talis fuit, &
verba & facta quæ Messia digna erant ederet & ostenderet: ab eis
qui ejus dictorum & factorum testes erant pro Messia agnitus: ne-
que Judicio illi, verbo aut moribus reclamavit, dubitandum non fuit
quin ille Davidis filius esset, quem David ipse ut Dominum suum
coluit, Psal. 110:1. quemque ab omnibus, ipsis etiam Regibus, osculo
& obsequio religiolo atque humili honorari voluit, Psal. 2:10. sqq.
Quæ omnia in Jesu, qui à plurimis contemporaneis dicebatur Christus
Matth. 1:6., locum habent. Conf. ex Maim. Hilc. Melach. c. XI.
Cl. Coceii Sanhedr. cap. XI. not. ad § 37. Cùm autem Messias, in-
ter alia indicia, ex familia Judæorum certa, Abrahami inquam &
Davidis, agnisci debuerit, neutrius autem genuina soboles, Tabu-
lis Genealogicis pridem deperditis, hodie natales suos demonstrare
poslit, consequitur ultrò, Messiam (qui populum suum ex servitute
Satanæ, tanquam Rex glriosus, in filiorum Dei libertatem assertu-
rus, & omnigenis bonis, benedictionis nomine Abrahamo promissis
mactaturus erat) pridem venisse: eumque, Jesum Nazarenum esse,

agn-

*Christus
Messias Pa-
tribus pro-
missus.*

5.

6.

7. 2

8.

9. 2

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

agnoscit omnis, cuius cor spissò velamine, ne gloriam ejus videat, obdutum non est. 2. Cor. 3.

*Christus re-
re benedi-
ctionis &
sanctitatis
fons.*

XXX. Beneficia quæ Deus Adamo, Abrahamo, Davidi per *Sanctum* & *benedictum* semen ex eorum posteritate nasciturum conferenda promisit, ad unum reducuntur: adductionem reorum in *Sanctitatis* & *benedictionis* divinæ *communionem*. Evidem Deus Sanctis & sapientissimis rationibus, promissi boni præstationem, nativitatem inquam liberatoris ex Abrahæ semine, pluribus annorum milibus distulit: denique tamen juramenti sui memor, eum comparere voluit. Qui sanguinis sui ipsiusque vitæ pretio, bona homini conciliavit, in quibus felicitatis humanæ apex versatur, *Sanctitatem* & *benedictionem*: quæque bona præter insitam dignitatem, id peculiare habent, quod constantia & aeterna sunt. *Sanctitatis* donatio, restitutionem *Justitiae* supponit: & renovationem imaginis divinæ, quam Deus non potest non in homine amare, complectitur. Cumque hæc ipsa *Sanctitas*, pars sit *benedictionis* per Christum nobis conciliandæ: eadem benedictione insuper in nos effunditur cumulus omnium bonorum, quæ in lege *vite* nomine comprehenduntur. Fons ex quo tot & tanta fluunt, est Christus, ejus obedientia, mors Spiritus. Manus quam Deus tantis beneficiis implet, est fidès, Christum ejusque justitiam sitiens, querens, apprehendens, quæ in aliis fortior in aliis debilior, in aliis sterilior, in aliis fertilior, in nemine omni nævo caret: quæ labes in *Sanctitate* inprimis se profert. *Sanctitas* enim imperfecta, fidei defectus non minus prodit, quam fætus imaginationis maternæ aberrationes. Unde omnis ævi Ecclesia variis mutationibus, cibrationibus, oppressionibus &c. exposita. Certè genus humanum, Judæi non minus quam gentiles, post promissionem illam tanto beneficio se indignos præstiterunt: cuius rei mulieres à S. Mattheo commemoratae fidem faciunt. Judæi, ipsiusque Davidis posteri, eadem levitate quæ alii, usi. Inde ipsius familiæ benedictæ anceps subinde conditio, & lurida facies. Abrahami & Saræ corpora emortua, culter Isaci jugulo intentatus &c. Quoties Deus furori hostium suorum frena laxavit, quid qui sui immeiores videbantur, in se ipsos decenterent, & in Messiæ adventum se ritè præpararent? Iosuā vix defuncto, jugum Dei excusserunt, in gratiam sæpius recepti, ad vomitum semper redierunt, nec tamen acerbius malum illis immissum quam *captivitas Babylonica*: qui hostium gravissimus motus impeditre non potuit, ne Dei populus promissis bonis potiretur. Ita vel inter præstissimas ruinas res populi Dei in vado est, Act. 13:34. Rom. 11:29. Quacunque utantur fortunæ, per eam Davidis solio insidens Rex, salutem Populi sui promovet, ipsa venena in pharmacum convertit, consummatae & sincerissima beatitudinis eis conciliandæ viam munit. Rom. 8:28.

*Nomina
Sancta in
Christi Ge-
nealogia
Iesu non ca-
rent.*

XXXI. Personarum quas Catalogus ille exhibet, conditionem tum *internam* seu moralem, tum *externam* seu civilem consideranti, in utraque

(nt)

(ut Pharaonis spicæ, Gen. 41: 6.7. & Jeremiæ ficus, Jer. 14: 2.) diversissimæ occurunt. Enim verò animus aliorum candidus, & Deo semper sacratus: alii nigro thetâ notantur; quorum nonnulli ad frugem redierunt, cæteri secūs. Deus Patriarchas, Davidem, aliósque Christi Majores, non tantum *tubas* & præcones esse voluit gratiæ in semine benedicto exspectandæ: sed etiam *specula* & *faces* in quibus vita in Christo recipera virtus & robur, & imaginis Dei per ejus Spiritum restituenda formositas niterent & conspicuæ essent. Præcipuum eorum decus fuit, quod eosdem *phosphorus* & *auroram* aliquam Solis justitiæ esse voluit, in quibus tum *status* uterque, in quo Christus exspectabatur, tum *dignitas* tum *beneficia*, regni Dei civibus, sanguine Regis gloriae comparanda, iisdemque civibus ex æterno Dei consilio conferenda, veluti in umbra aliqua delineabantur. Quis nescit? Quis dubitat? Peregrinationem & exilium perpetuum Christi; Abrahamus: Victoriae, David &c. præfiguravit. Porrò Christus non tantum credentium Pater & circumcisionis Minister ut Abraham, sed etiam fidei donator & verae circumcisionis fons. Non tantum Princeps pacis ut David, sed etiam pacis auctor, ipsaque Pax: Hæres Patris unicus & victima ut Isac, idemque Sacerdos. &c.

XXXII. Infamia Thamaris, Bathsebæ, &c. tot idololatrarum nominis, à priore classe ita aliena, ipsaque Genealogia Christi adeò immia, digna videri possint, ut adjici mereatur granum illud salis: *Beatus es, qui non fuerit offensus in me*, Matth. 11: 6. Sed non proletaria Sanctitatis & sapientiæ divinæ mysteria heic latent, quarum clavim Historia Christi incarnati nobis suppeditat. Christus palam facturus, se non propter fanos sed propter aegros, non propter justos sed ob peccatores in mundum venisse: non ut pertinacibus & peccati mancipiis indulgeret, sed ut eos vocaret ad penitentiam, hâc inquam fini subinde cum peccatoribus, publicanis &c. accubuit. Id ei vitio maximo versum à Phariseis, Luc. 5: 30. Quid verò? Si omne commercium & quævis cum notoriis peccatoribus conjunctio, à Sanctissima Messiae Persona aliena fuit, unde est quod ex tot tamque notiorum peccatorum prosapia descendere voluit? Vel dixeris, id temere, casu, absque ratione factum? Aut hujusmodi generatione, Messiae ejusque Majoribus nullam intercessisse conjunctionem? Ignorarunt ne illi *κυνιστείσαι*, vel Messiam Davidis filium? Vel in as- & de-scendente Davidis linea adeò atra nomina occurrere? Ita hæc Genealogia non sterilis *apex*, sed *apis* & *mel* & *aculeum* emittens; suavi consolatione reficit, peccato contritos: & stimulo excitat in officio & pietatis studio ac studio segnes. Σωγκαράξος hujusmodi scintilla est charitatis, quæ Filium Dei ex sinu Patris in terram pertraxit, & character fidelitatis in officio cuius causâ comparuit.

XXXIII. Si splendorem *externum* totius corporis observes, diversissimus utique, tum in *ventre*, tum in *paribus extremis*, capite & pedibus militas & appetet: quod ipsum argumentum est Christum non corporis sed men-

Christi humanitatis
Magnitudinis

tis oculis considerandum. Familiae benedictæ meridies & splendor externus invaluit cum Davide: in posteritate ejus Regia aliquot seculis continuatus. Noluit tamen surculus hic Jesse, prius ex ea prodire, quam trunco cedri illius illustris rescipto: Sola radice Jesseis relicta: Davidis squalore obrutis ac propè sepultis. Quia Christus noluit gloriam sibi conciliare ab ejusmodi titulis & pompa mundana, gloriam potius ipse in alios effusurus & emissurus. Humillimus naturâ, quam à patribus habet, & quâ nos contingit: seipso magnus imò maximus. Verum non splendore qui extra se in aliis, sed suo, qui tantus ut etiam abjectis & obscuris lucem & serenitatem conciliet. Miraberis in his genealogiis quantum licuerit, nomina opibus, diademate, victoriis, sapientiâ, famâ &c. illustria. Christus nisi in corde molli, carneo, morigerò, fidelis habitare non vult. In sapientiâ suâ turgidis, non magis formatur, quam in sceleratissimo quovis: nisi se ipsos abnegent.

*Christus nec
pompæ, opis
bus, &c.
seculi de-
fens: nec
abjectos &c.
despicit, aut
negligit.*

XXXIV. Evidem Patriarcharum, Davidis, multorum aliorum Christi Majorum exemplo docuit Christus, quod larga rōn̄ piatitā copia, à digniorum possessione & cælestium spē neiminem excludat. Posteriorum tamen fata evincunt, nihil ejusmodi rebus inanius & inconstantius esse. Ad gloriam & opes mediae ætatis Majorum Christi, nihil ferme accedere potuit: infimæ tamen ejusdem familie ætati, nihil superstitab præteriorum memoriam. Nimur oculifera illa si quando bonis contingunt, eis cum pessimis communia esse possunt. Et qui præsentibus & visibilibus terrenis unicè capiuntur ad invisibilia, futura, cælestia animum nunquam erigent. At mutatâ fortunâ vela vertent. Adde quod hæc ipsa Patrum Christi obscuritas, neque eos aliorum reverentia indignos reddere, neque ipsis animum adimere debuit. Quia hæc eorum conditio pauperula umbra, aliqua fuit voluntariae *κενότητας* ejus, qui cùm esset in forma Dei, in forma servi apparere: & cùm esset Deus Schaddai, inops & necessiariorum egenus, nasci & vivere maluit: ipsaque ista ratione idonei redditū, quod essent tutores, mater, comites, alia instrumenta Domini & Redemptoris sui in abjecta carne apparituri: neque dubium ipsos, quod Mosi olim usui venit laudi duxisse, & maximis in divitiis, adde maximâ in gloria posuisse, ignominia huic Christi confortes, & imaginis filii Dei haec tenus *συμμόρφους* conformes fieri, Phil. 2:6, sqq. 2. Cor. 8:9. Hebr. 11:26. Rom 8:29. Cùm ipsis Regibus major gloria contingere nequiverit, quam in Christi Genealogia comparere: major tamen & vera gloria cuiuscunque ordinis sisti contigerit, si ex Christo nascaris, & Christus in te nascatur. Cui curæ est obseruantia præceptorum Christi, à Christo non minori in pretio habetur, quam si frater ipsave mater ejus fuerit. Nulla jam carnis prærogativa, 2. Cor. 5:16. Tribus Israëlitarum eopse fine confusis, & Genealogiâ Davidis in id ipsum sepulta. Denique cùm Judaica gens multis prærogatiis alias gentes superaret, omnis tamen eorum gloria & felicitas non in Majorum opibus, longævitate, dignitate, non in horum victoriis, magnificis palatiis &c. sed in eo quod Christus ex illis proditurus esset, regnum inter eos exciturus, eos ad communionem cum Deo invitaturus, denique Filios ex gente illa à Patre sibi datos in gloriam introducturus, Hebr. 2:10. Cujus gratiæ candidati, Christi exemplo se ipsis exinanire, & ex Christi præscripto se ipsis abnegare jubarunt. Quod cùm ægræ fiat à magnis & divitibus mundi, difficile est dñites in regnum cœlorum ingredi, Matth. 19:23. Unde Deus maluit pauperes in mundo, dñites in fide eligere. Vid. 1. Cor. 1:26, sqq. Jac. 2:2.

B I N I S.







Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1677943300/phys_0041](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300/phys_0041)

DFG





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1677943300/phys_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300/phys_0043)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1677943300/phys_0045](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300/phys_0045)


DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1677943300/phys_0046](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300/phys_0046)

DFG



the scale towards document

(47)

olura circa hanc materiam tractata recognoscere
et modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
x B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
a. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thes. Eccles. par-
9-713. ISAACICASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindiciis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
NTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
ap. 107-147. Io. COCCEII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis ὁμόψηφος est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duersus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
christoph. wOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
eqq. allegatos, præfertim *Eliam du Pin* &

Ioannem *Launoium*, comen-
damus.

ς δὲ τῷ θεῷ ἐπὶ τῇ αἰνεῖντητῷ αὐτῷ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
P R A E S E S.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
in florentissima academia, per triennium &
se. Dum vero materiam ad disputandum
menti, ut satis ardui hodieque scitu neces-
sarii,

520

Patch Reference Numbers on UTT

Serial No. T63

Image Engineering



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1677943300/phys_0047](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677943300/phys_0047)

DFG